

ster desideratus *Georg. Crausserus* in *scintill. Tullian.* p. 156.

Nobis verò hoc loco non est res cum quovis corporis integrī tumore vel habitu exsuperante, cuiusmodi species variæ varias causas agnoscentes in pathologia occurunt, & sua peculiaria nomina sortiuntur, nec non curationes distinctas requirunt. Ideoque $\pi\alpha\chi\epsilon\xi\alpha$ seu malus corporis habitus tumens, hydrops, & à veneno aliisque causis oriundus universi corporis tumor non ad obesitatem pertinet. Sic in Hypochondriaco affectu adesse obesitatem nonnunquam veram, non nunquam apparentem, ob serositatem & flatum, quibus corpus turget, copiam, indicat magnus noster inter vivos olim, nec jam infimus inter beatos *Guern. Roflincius* in *Epitom. method. Cognosc. & cur. part: affect.* l. 3. c. II. p. 247.

Deinde distinguunt & separant quidam obesitatem à corpulentia, quod hæc carnosum, illa verò pinguem corporis habitum denotet; alii tamen non semper adeò accurate hanc differentiam attendunt, aut raro à se invicem statum hunc separatum ducunt atque dicunt, de quo plura in sequentibus trademus, & si placet videri potest *Sennertus prax. Med:* l. 5. part. I. c. 4. p. 22. A nobis autem hoc loco obesitas accipitur uti communiter ea in scholis Medicorum accipi solet, & denotat pinguem & bonum corporis habitum, $\pi\upsilon\sigma\alpha\eta\kappa\sigma\alpha$ à quibusdam dictum, qui etiam ab Hippocrate $\pi\upsilon\sigma\epsilon\xi\alpha$ dicitur; sed insimul habitus iste $\sigma\upsilon\mu\mu\pi\sigma\gamma\alpha$ corporis, vel reliquarum partium ordinariam superat, atque sic actu, vel potentia facile laedit corporis actiones, aut majora mala minatur, de quibus subsequenti plura detegent.

Sunt equidem nonnulli, qui strictius obesitatem pro summo pinguedinis statu, adeoque morbo reputant, & bonum habitum vel habitudinem pro sano & integro statu, utpote qui medium teneat inter gracilem & obesum, veluti ex mente Galeni se loqui dicit *Paul. Zachias* in *question. Med. legal.* tom. I. l. 5. tit. 2. qvæst. 12. p. 399. Verùm communi valore denotat obesitas pinguem corporis habitum, qvō gradu tandem reqviecat eadem; qvamvis interdum illi addatur epitheton nimii vel exsuperantis, veluti nobis etiam placuit exprimere effectum, qvem nostræ jam considerationis esse voluimus. Non